

ipſius, in quã (b) ſtamus, gratia. Audi CHRIS TUM ipſum, fratrem, & amicum, *Confidite*, (c) *ego vici mundum*. Tantum eſt hujus pronun-
ciati precium, dicit B. Lutherus, ut quis non pigretur vel ad ipſam,
uſque Romam aut Hieroſolymam per mare, per ſaxa, per igneis ex-
currere, atque inde accerſere & aſportare. Non petitum eſt hoc
ex *Apollinis*, quem ſæpius uſque ad impietatem ſuperſtitioſam in ore
& phraſi gerimus, *tripode*, (d) neque ex antri *Sibyllini* vagantibus &
vacantibus *folijs*: ſed ille protulit, qui numquam fallit aut (e) men-
titur, qui eſt ipſa inſallibilis (f) veritas, ad cujus eſſatum omnia (g) fi-
unt, ad cujus præceptum omnia exiſtunt, cujus verba non (b) tranſi-
bunt, ſi vel maxime cœlum & terra in antiquum chaos fuerint reca-
ſura. Quod ſi verò non tam manus quàm animus ſit oculatus, ut,
niſi videat, nihil credat, relinquamus (i) *doſſuarium hoc rudentis ratio-
cini jumentum* ad radices ſæcularis montis glebæ ſuæ affixum, evolem⁹
autem devotæ precationis remigio ad thronum divinæ miſericor-
diæ, dicentes *Domine* (k) *adauge nobis fidem*, *Credimus* (l) *equidem, Domine,*
ſed tu incredulitati noſtræ ſubveni & ſuccurre. Impoſſibilia fanè videntur o-
culis (m) noſtris quam plurima, non tamen ſtatim talia ſunt in oculis
DEI Omnipotentis, qui poteſt (n) *facere ὑπὲρ πάντα, ὑπὲρ ἐκ πνεύματος* per
vim agentem in nobis, qui fidelis (o) manet, ſeque ipſum negare non
poteſt, qui dixit, (p) *Non te deſeram, neque derelinquam, ut fidenter*
(q) *dicamus, Dominus mihi auxiliator, nec timebo, quid faciat mihi homo,*
major eſt, qui in nobis eſt, quàm qui in mundo eſt: nempe DE-
US eſt in pijs, *Diabolus in incredulis*; hic ſapientiam mundi *exſtruit*, quàm
DEUS *deſtruit*; ille potentiam ſæculi *excollit*, DEUS verò *dejicit*, quia

poten-
(b) v. 12. Rom V, 2. (c) Joh. XVI, ult. (d) Erasmus Adag. Tit. Fides &
Gravitas. (e) Numer. XXIII, 19: 1, Sam. XV, 29: Malach: III, 6: (f) Joh.
XIV, 6. (g) Pfalm. XXXIII, 9. (h) Luc. XXI, 33. (i) ex Genes. XXII, 5. *Der
Eſel bleibet hinder dem Berge*/ Vide B. Luther. in h. l. Tom. IV. Jen. Germ.
fol. 126. b. (k) Luc. XVII, 5. *ωρῶσθε*. (l) Marc. IX, 24. *Θαυμάσιον*. (m) Zachar II, X,
6. (n) Ephes. III, 20. (o) II. Tim. II, 13. [p] Ebr. XIII, 5: 6. [q] *ἰσχυρὸν αὐτοῦ*, aus ei-
nem feſten geiſtlichen thurſt.